

^{4.}
Oratio
DE CAUSIS
CORRUPTAE IV-
VENTVTIS, HABITA IN
Academia Tubingensi: cùm primæ laureæ
honores, 49. Adolescentibus conferren-
tur: die 28. Septemb. Anno
M. D. LXXVI.


A
*M. Georgio Lieblero: in eadē
dem Schola Professore
Physico.*



TUBINGÆ,
ANNO M. D. LXXVI.

C 33

M. Liebler



3

Oratio de causis corruptæ Iuuentutis.



COGITANTI mihi sæpenumero, & in res nostrorum hominum intuenti: quærendum esse visum est: cur in Scholis publicis iuuentutem corrumpi vulgò dicatur, & multis parentes spe sua, quam de liberis conceperant, frustrati, afflictam & tristem exigant senectam. Ac ego quidem, vt in multis alijs rebus, ita hîc quoq, longissimè à consuetis hominum opinionibus dissentire me ingenuè fateor, maximamq, partem corruptæ adolescentiæ, non Præceptoribus, vt omnes ferè, sed ipsis parentibus, vt nemo, vel paucissimi, tribuo. De quo paradoxo, cum à præsentis ætatis solennitate non omnino videatur alienum, dum paucis dissero, diligenter quæso attendite. Ac initio quidem, non natis demum liberis, vt omnes solent: vel pneritiæ annis egressis, vt pleriq, de educatione illorum: sed longè prius quam nascantur, prudenti viro cogitandum existimo. Qua quidem in re meo iudicio maximum inest erratum. Cum enim canes aut equos generosos non expectemus, nisi ex copula generosorum: nos perindè ac si nihil intersit, ex qualibus vtriuslibet liberis suscipiamus: de natura, ingenio, moribus, educatione earum, ex quibus familiam nostram sumus propagaturi, nihil prorsus cogitamus. Sed quas vel inconsultus & furiosus amor nobis conciliarit, vel dotis amplitudo commendarit, vel generis splendor vel pudèpi vicijs suaferit, sine vlla reuerentia diuini numinis, nulla præmissa inuocatione ducimus. Quod igitur mirum si matrum, ingenia sapius re-
A 2 ferant

Oratio de causis

4
 ferant liberi, quàm patrum? Apud Terentium in iurgio cum vxore Chremes ita loquens introducitur: Facile conuincet, cum voles, Ctesiphonem tuum esse filium, nam tui similis est probè. Nam nihil illi vitij est relictum, quin id item sic tibi. Tum praterea talem, nisi tu, nulla pareret filium. Et Socratis filij matris feruntur quàm patris fuisse filiores. Quæ causa facit, vt Heroum & præclarorum virorum filij plerunq; à virtute paterna degenerent. Quemadmodum autem matres felicitis sobolis, insigniter probas esse oportet: ita, & quidem multò magis patres tales esse conuenit, quales sibi optant nasci liberos. Qui iuuentutem tuam in ganeis, in lustris, in vino, in crapula turpiter exegisti, & vix tandem multis edoctus malis te collegisti: filium probum, hoc est, tibi dissimilimum expectas? Si faciem patris referat filius, si vocem, si incessum, si gestum, si maculam aliquam corporis: exocularis illum, tuum esse credis, de pudicitia vxoris tibi gratularis. At si animi tui vitia, progredientibus annis, & præceptori traditus, exerat, quæ vel ætas puerilis, vel metus texerat, excandescis, exclamas, & perditum filium tuum à præceptore negligente quereris. Cur non vt in corpore, ita in animo quoq; filij tui similitudinem agnoscis, & gaudes te nactum filium, animo & corpore tibi simile? Ita verò natos liberos, qualis quæso, statim excipit educatio? Blanda illa & mollis, quam, vt Quintilianus ait, vocamus indulgentiam, quæ omnes neruos ingenij & corporis frangit. Ego verò nihil boni, nihil magni de eo mihi polliceri ausim, qui non in ipsis incunabilis seueram & austeram expertus sit disciplinam. At nos quid illis non concedimus? quid non indulgemus? quas ciborum delicias, quem vestitus splendorem negamus? Vbi verò iam balbutire inceperint,

ceperint, si quid licentius dixerint: gaudemus, & verba, ut ille inquit, ne Alexandrinis quidem permittenda delictijs, osculo excipimus. Nec mirum, cum eadem ex nobis audiant. Nostros sermones spurcos, nostras ineptias, nostras blasphemias audire coguntur, nostras crapulas & perpotationes vident, atq; ita miseri hæc discunt, antequam sciant esse vitia. Indè soluti ac fluentes, non accipiunt è Scholis mala ista, sed in scholas afferunt. *Non fabulam hîc narra- bo, sed rem gestam hoc ipso oppido ante paucos dies, atq; in mea vicinia.* Cum ex puero quodam vix septem annos nato, horrendæ, sed nimis consueta & vsitata essent audita blasphemie, atq; is ob id ipsum à quibusdam suis equalibus, qui talia ex suis parentibus nunquam audierant, corripere- tur, Quid, inquit, ille, sapientiores vos esse arbitramini patre meo, à quo quotidie ista audio, qui si peccatum esse sciret, nequaquam faceret?

Narratio 4i. gestæ.

Plurima sunt, mihi credite, fama digna sinistra.
Et nitidis maculam ac nigram figentia rebus,
Quæ monstrant ipsi pueris, traduntq; parentes.
Sic damnosa senem iuuat alea, ludit & hæres
Bullatus, paruoq; eadem mouet arma fritillo.

Qui patrem de lauticijs ciborum differere crebrò audit, quem gula deditum videt: qui vini suauitatem prædicari audit: hic non magnificat ea, quæ patri tantopere placere intelligit?

Et qui
Boletum condire, & eodem iure natantes
Mergere ficedulas didicit nebulone parente,
Et cana monstrante gula, Cum septimus annus
Transierit, puero nondum omni dente renato
Barbato licet admoueas mille indè Magistros:
Hinc toridem, cupiet lauto cœnare paratu
Semper & à magna non degenerare culina.

Prudenter ergo Monica D. Augustini mater, quae puellis, quas educabat, ne aquae quidem satis concedebat. Iam enim, dicebat illa, aquam ad satietatem bibitis: aut ubi maritis tradita fueritis, & claves cellarum nocte, etiam ultra satietatem vinum bibetis. Haec etiam in aqua temperantiam docendam & seruandam putabat. Nos in cunis vagientibus vinum praebeamus, & feruorem aetatis addito oleo augemus, & nunquam postea dediscendum vini amorem docemus. Vt mirum iam non sit, vel ex tam sancta & diligente matre, tam sanctum filium, & tantum Ecclesiae Doctorem natum: vel ex nostris corruptelis domesticis, tam deploratos & corruptos prodire filios. Nostris enim sermonibus, nostris facinoribus, nostris exemplis corrumpimus Iuuentutem: à nobis, si quid peccant, didicerunt, arripuerunt, hauserunt.

Nihil dictu foedum viliusque hæc limina tangat,
 Intra quæ puer est, procul hinc procul inde puellæ
 Lenonum & cantus pernoctantis parafiti.
 Maxima debetur puero reuerentia, si quid
 Turpe paras, ne tu pueri contempseris annos,
 Sed peccaturo obsistat tibi filius infans.
 Nam si quid dignum Censoris fecerit ira,
 Quandoquidem similem tibi se non corpore tantum
 Nec vultu dederit, marum quoque filius & cum
 Omnia deterius tua per vestigia peccet,
 Corripies nimirum & castigabis acerbo
 Clamore, ac post hæc tabulas mutare parabis.
 Unde tibi frontem libertatemque parentis
 Cum facias peiora senex
 Illud potius age, ut sanctam filius omni
 Aspiciat sine labe domum, vitioque carentem.

Dicam rem inauditam, & incredibilem: dicam πᾶδ' ὀφ' ὅπου
 quous stoico, πᾶδ' ὀφ' ὅπου: paucos esse parentes, qui quid sit

corruptæ Iuuentutis.

7

de p[ro]p[ri]etate ~~audere~~ intelligant, qui liberos suos rectè educari cupi-
 ant, imò qui non velint eos esse quàm deprauatissimos. Atq[ue]
 hanc rem tamam facile demonstraturum confido, si modò me
 patienter audire non fueritis dedignati. Ergò tradatur mi-
 hi, filius nobilis alicuius, educandus: hunc si dedoceam ~~de~~
 illud nobilitatis: si ostendam, non nobilem esse, nisi qui
 virtute & præclarè factis se nobiliter: si mitem animum do-
 ceam, & mores modicis erroribus equos præcipiã: si ostendã,
 animos & corpora nobilium & seruorum eadem constare ma-
 zeria paribusq[ue] Elementis: an non Pater huius pueri cla-
 mabit illico: me osorem esse, & contemptorem nobilitatis?
 me nobiles & generosos pueri spiritus frangere, & plebei
 parem facere? Mittat ad me Mercator filium. Hunc si
 doceam, in omnibus contractibus seruandam iusticiam, non
 magni faciendas opes, mercaturas exercendas, non iam di-
 ceo ad leges Christiana ciuitatis, sed ad eas, quas Cic. 3. Of-
 fic. paganus paganis fixit: omnia videlicet vitia mercis em-
 ptori cum bona fide indicanda, nec sui lucri causa quidquam
 reticendum, quod scire emptoris intersit, cum nullius damno
 aut detrimento opes quarondas. Si inquam his & similibus
 opinionibus imbutum adolescentem remittam: hei mihi
 quæ mala mihi, quas cruces pater imprecabitur. Fatuum se
 & ad omnes res gerendas inutilem à me recipisse filium que-
 retur, nec solus Socrates corruptæ iuuentutis reus agetur.
 Neq[ue] enim vitia execramur, sed opes solùm admiramur: &
 studia literarum non propter suam honestatem amamus: sed
 quia credimus, hisce imbutos, facilius rem facturos. Si prædi-
 citis viri filium doceam: non esse venales habendas lachry-
 mas pauperum: non ex fame miserorum in caritate rerum
 quæstum faciendum, sed mediocri precio, non quod extor-
 queat

Hob. l.;

Mercator

Diuis.

queat necessitas, sed quod poscat aequitas, vendenda frumen-
 ta, vina, reliqua, quibus usus vitæ quotidiana carere non
 potest: an non toti mundo, atq; etiam nonnullis sacrorum
 Antistibus & ipse videbor insanire, & insanos reddere disci-
 pulos. Atqui ut hoc doceam, non utar regula Christiana
 charitatis, sed Sacerdotis Ethnici, qui dimidium toto pra-
 stare dixit. Nec unquam florebit Respub. nisi ad hunc
 modum iuventus domi & in Scholis instituatur. Reliqua
 enim pars institutionis, quæ ingenij est, nec felices nec infe-
 lices facit, cum eius pessimus quisq; possit esse capax. At hæc
 quæ est probitatis & morum, sola & priuatim singulos, &
 publicè ciuitates felices atque beatas efficit. Fingite quas
 rem quidem absurdam vehementer, sed quam tamen fin-
 gere facile potestis, amplissimos honores, præmia maxima,
 opes propositas esse aleatoribus, potatoribus, scortatoribus,
 pessimis quibusq; nebulonibus: viris autem honestis & doctis,
 vel nulla, vel perexigua: quid quæso futurum censeatis? Deser-
 rentur subito scholæ nostræ omnes, & famelici vacua nos ia-
 tabimus in aula, nec iam liberalium artium, Philosophiæ,
 Medicinæ, Iurisperitentiæ, Theologiæ quaerentur Doctores
 & Professores, sed turpissimarum artium Magistri.
 Rari quippe boni, numero vix sunt totidem, quot
 Thebarum portæ, vel diuitis ostia Nili.

Qui igitur filios non propter gloriam DEI, propter sa-
 lutem patriæ, propter virtutis & honestatis studium in Scho-
 las mittunt: sed ut liberalibus artibus imbuti, illiberaliter
 illis ad quæstum abutantur: ijs si contraria votis accidant,
 si malè parta peius à liberis perdantur, iusta scilicet querelarum
 cause sunt. Neminem audiui hætenus parentem queri de
 auaritia filij sui, quanquam id quidem vitium in Adolescen-

te rarum est, & si sit, monstri simile sit, auctore Aristotele: & tamen tam vitij alijs, quæ fert adolescentia, sit peius longè, quippe quod solum cum ætate incrementa sumat, & plurimis ciuibus, imò totis sæpè Rebuspub. noceat: tamen si huius semina pater in puero animaduertat, nequaquam id corrigere, sed potius augere studebit. Hic scil. vir erit: hic rem tuebitur & augetur familiarem: hic summis rebus gerendis aptus erit. Cætera vitia in filijs oderunt patres, non propter turpitudinem, & quòd vitia sint: sed quia opes imminuant. Ita ergo affecti parentes, ita institutos aut potius deprauatos nobis in scholas mittunt, quos corrigere amplius non possis, nec si corrigas, à parentibus in eas magnam gratiam, nisi ita corrigas, ut simul fontem & radicem omnium malorum auaritiam doceas. Non iam dicam, quàm multos perdant matres stultæ, nimiumq; & peruersè amantes filios: quæ quicquid pecunie maritis suffurari possunt, vel ex illorum indulgentia habent: filijs submitunt, irritamenta malorum omnium: ita illis scribentes. Hac pecunia, charissime fili, cum equalibus tuis interdum te oblectare poteris. Quis quæso filius esset tam perditus, qui non hic obsequeretur matri suauissima? Neq; verò illud prætereundum mihi videtur, quòd etiam seuerissimis & diligentissimis patribus disciplinam domesticam labefactare solet: quòd suæ fidentes industriæ, vel nunquam, vel rarissimè successum à Deo petant. At quantò rectius Plato nosser, qui in cuiusq; operis exordio, seu magnum illud sit, seu paruum, Deum inuocandum censet? Cum ergò vixit ap summum Dei donum esse, omnes fateri cogantur, rebus ipsis edocti: ardentissimis illa votis à Deo quotidie petenda erat. Quod cum passim negligatur: mirandum non est, parum

felices esse hac quoque in re labores nostros. Augustum Casarem summa & inaudita diligentia in filia & neptibus instituendis usum perhibent. Atqui letum, & fidentem disciplina domus, fortuna destituit, inquit Suetonius, filiamque & neptes omnibus probris contaminatis vidit. Quia non solum diligentiam in laboribus, sed in inuocatione quoque ardorem animi requirit Deus: suaque omnia bona, non modo laboribus, ut Xenophon dicebat, sed etiam precibus, ut nos à Christo edocti rectè dicimus, vendit. Iam verò docentibus & rectè instituentibus, noctes diesque sollicitis & vigilantibus, quae expectanda merces? **DEVM** immortalem, quae expectanda merces, quero? Si Villico decem pascas boues, victum dabit annuum: si viri diuitis doceas filium, menstruum etiam agrè dabit. Nemo, inquis, tam ingratus est. At efficiam opinor, ut omnes idem fateamini. Quis vestrum quæso est, qui si mihi instituendum tradat filium, atque ex eo quæram, quod soleo, post primæ ætatis rudimenta, quibus studijs porro cupiat filium operam dare? An non studio Iuris respondebit hic, alius Theologia, Medicina alius, & erit fortasse inter mille vnus aliquis tam fatuus, qui Philosophiæ respondeat. At si rogem, num pedagogum aliquis velit fieri filium? omnes tanquam rem diram abominabuntur. Neque id mirum. Omnes enim filijs suis optimè consultum cupiunt. Hic maximis & molestissimis laboribus, nullos honores, nulla præmia videne proposita. Ego quidem, quem non imbecillitas ingenij, sed iniquitas temporum, in hoc pistrinum, in quo iam triginta ferè annos molo, compulit, si quem filium habeam, omnia mea monita spernentem, quem maximo affectum malo pro grauissimis in me peccatis cupiam, operam dabo, ut pedagogus fiat. At si quis ex illis sit diligens, ingenio præ-

Lucianus:
 Quem Jupiter
 odit, hunc
 Pedagogum
 facit.

nio præ-

nio præditus, mihiq; obsequens: illum diligenter monebo, ne
 vnquam aliorum liberis instituendis se atq; ætatem suam per-
 dat. Quare autem, dicat aliquis? Non ego verba vobis, sed
 rem ipsam afferam. Querite ex Michaële, qui ciuium & no-
 stros porcos pascit, an in hac summa, inaudita, & horrenda
 omniũ rerum penuria, famẽ vnquã senserit? negabit opinor,
 & verè negabit. At querite id ipsum ex erudito aliquo, pro-
 bo, & diligente pedagogo, fatebitur opinor, & verè fatebi-
 tur. Quid hic dicam, aut quid exclamem? Nihil ego qui-
 dem. Sed audite obsecro ex inferis reuersum Aristippum.
 O Iuppiter. O Dij Deaq; omnes, pluris facitis porcos, quàm
 liberos vestros? Maiori mercede dignum iudicatis Charo-
 boscum, quàm pedagogum? Et his moribus & iudicijs tam
 peruersis illos bonos & fideles liberorum vestrorum prae-
 ceptores sperare audetis? Date praeceptoribus honores, date
 victum, non tantum necessarium, sed etiam liberalem, date
 mercedem tot laboribus dignam: & ego praeceptores doctos,
 diligentes, idoneos dabo. Nunc hoc, quo nullum magis est
 in Repub. officium necessarium, ex quo vno salus Reipub.
 pendet, quo nullum magis debebat esse honoratum, nemo vult
 fungi: nisi quem vel ingenij imbecillitas, vel fortuna iniquis-
 tas, à sublimioribus, vt quidem dicere solemus, studijs arcet,
 vel inimicum aliquod sydus, si modò syderibus vis aliqua est
 tribuenda, vel deniq; desperatio in hoc miserrimum ergastu-
 lum compingit. Neq; id sanè mirum est, cum nos ipsi, quot-
 quot videmus adolescentes ingenijs præditos, ab hoc vitæ ge-
 nere, tanquàm abiectissimo deterreamus. Ita quos etiam Na-
 tura idoneos finxerat, quos donis egregijs, & instituendæ iu-
 uentuti necessarijs ornarat, contra naturam suam aliam vitæ
 rationem ingredi cogimus, qua ex paupertate atq; contemptu

sese vindicent, & ut paucissimi sint. Iuuentutis instituenda,
 egregij artifices, quasi dedita opera efficiamus. Honos enim,
 ut Cicero inquit, alit artes, omnesq; incenduntur ad studia
 gloria, iacentq; ea semper, quae apud quosq; improbantur. Ita
 vndiq; omni ratione concluditur, culpam corrupta iuuentutis
 non in Scholis harere, sed penes patres ipsos esse: quod vel ex
 talibus gignant, vel tales ipsi sint, quales liberos suos nemo
 esse cupiat: vel domestica indulgentia, corrumpant, & corru-
 ptos in Scholas mittant, vel ὀρθῶν παιδείᾳ nec intelligant,
 nec ferant, vel à Deo successum institutionis non petant, vel
 ita sordidè tradent pedagogos, ut vel nullos reperiant, qui
 tam vili & abiecto fungantur officio, vel ineptos reperiant,
 qui leuissimè illo defungantur, & triobolari mercedi, trioba-
 larem reponant laborem. Quae cum ita sint, mirandum cer-
 tè est, & summum DEI beneficium agnoscendum, quod
 inter tot tantasq; causas, quibus Iuuentutis honesta studia im-
 pediuntur, & mores deprauantur, aliquot tamen reperiantur
 Adolescentes, quia ad frugem perueniant, quibus videlicet
 meliore luto sinxit praecordia Titan. E quorum numero sunt
 hi quoq; quos coràm astarte cernitis, adolescentes ingenij, ho-
 nesti & docti: qui contemptis illecebris voluptatum, qui-
 bus haec aetas ferè capitur, totos se studio honestissimarum
 artium & morum optimorum tradiderunt, quod de illis par-
 tim nobis ipsis, cum diu nobiscum vixerint, constat: partim
 ex testimonijs Praeceptorum illorum cognouimus. Ac de pro-
 gressu quidem in literis per inquisitionem diligentem & ac-
 curatam abundè nobis liquet. Proindè ut in hoc laudabili in-
 stituto & curriculo alacrius progrediantur, de collegij Phi-
 losophici consensu prima mihi laurea ornandi iam sunt. Id
 quod faciam, si prius praesente Notario, in certa quedam
 capita.

corruptæ Iuuentutis.

B

capita sese collegio nostro astrinxerint.

Recita Notarie.

Ego igitur autoritate publica, à collegio nostro mihi concessa, vos omnes & singulos bonarum & liberalium artium Baccalaureos facio atq; pronuncio, & ab omnibus dici & haberi iubea, atq; ut ab hoc primo honorum gradu ad altiores conscendatis, hortor. *DEVM* Opt. Max. per Salvatorem nostrum *IESVM* precor, ut hos honores vobis & vestris salutare esse velit, & studia, mores, & vitam vestram, Sancto suo Spiritu gubernet, ad nominis sui gloriam, ad animarum vestrarum salutem, ad Ecclesie & Reipub. utilitatem.

A M E N.



B 3

Phalacium

Phalœcium Nuptiale,

PIO ET ERVDITO IUVENI,
 M. IACOBO LIBLERO, GEORGII F.
 Diacono Kirchensi: & pudicæ Virgini, BARBARAE
 RENZINAE, D. Henrici, Abbatis ad D. Georgium
 Reuerendi F. affinibus suis cariss.
 scriptum.

QU Inuptam sibi reperit cupitam,
 Ingens creditur inuenire donum.
 Nam vitæ sociam inuenit fidelem:
 Consortemq; operum: coriq; partem:
 Præter corporis: & piam sodalem,
 Seu fors nubila, siue sit serena.
 Non minus reperit bonum puella:
 Si qua Christicolam inuenit maritum.
 Nam tutor, pius est sua maritus
 Vxoris, caput, & corona vitæ,
 Virgo nacta virum grauem piumq;
 Communi fruitur viri decore:
 Atq; inter reliquas honore nuptas
 Tantum promicat: inter astra quantum
 Phæbe purpureo rubore lucet.
 Ergo te meritò reor beatum
 O Iacobe, cui bonum iugale
 Istud contigit: elegans puella,
 Apertis Barbara moribus, pudico
 Fulgens ingenio, modesta vultu.
 Vitæ quam sociam Deus perennem
 Et lecto propriam tuo dicauit:

Ut tecum

Nuptiale.

15

*Vt tecum reliquos superfit annos :
Formosa faciatq; prole patrem.
Gaude hac docte nuru tua Georgi :
O nostri decus inclytum Lycæi.
Tibi prima Agatha edidit nepotem :
Et te fecit auum Planerus, artem
Doctus Pæoniam, disertus ore :
Argentiniaci decus Lycæi.
Bina nepte domum deinde natus
Ioannes, animo decorus, auxit :
Nostra pastor in vrbe sacri ouilis.
Nunc & tertius inclytos penates
Augebit sobole, optimo Iacobus
Felix ingenio, peritus artis
Diuina, eloquioq; cultus acri :
Pastor ipse etiam gregis beati.
Gaude hoc Barbara cœlico marito,
Tutatore tuo, tua corona,
Et gemma capitis tui decora.
Gaude & tu genero beate tali
Henrice ingenua fide, grauiq;
Felix eloquio, verende Præsul.
Ipse affinibus, ipse gaudeo istis :
Et nexus precor vt sit auspiciatus :
CHRISTO sit decori : sit equo honorâ
Liblerisq; deinde Renzijsq;
Sit nupta precor, & viro saluti.*

Nicodemus Frischlinus Poëtica
in Academia Tubingenti
Professor F.

Vertical text in the left margin, possibly a list or index, written in a medieval script.

127

Main body of text on the page, consisting of several lines of medieval script, likely Latin or French, which is significantly faded and difficult to read.

THE END OF THE WORLD
A short section of text at the bottom of the page, possibly a title or a concluding statement.

OF
A
PR
BAR
CLY

C37